

V  
53 9/3



*Q. D. B. V.*

Ad

# Actum Solennem

quo

*Quatuor Viris Clarissimis*

Titulus & Privilegia

## LICENTIAE THEOLOGICAE

Post Disputationem pridie horis pomeridianis habendam,

*Die 18. Septembris*

*conferentur.*

Benevolum Dominum Lectorem

humaniter invitat

## PRO-CANCELLARIUS

D. GEORGIUS Lehmann/

P.P. & Superint.

---

Literis JOH. GEORGII.

m.  
le-  
os-  
uc  
pe-  
tet,  
fed  
nos  
Eli-  
ur:  
Lu-  
tua  
um  
ad-  
re-  
fe-  
nis  
one  
em-  
nis  
tum  
a o.  
Ec-  
a fa-  
que  
fidi-  
qua  
len-  
e, d.



**S**uavissimum humanæ vitæ condimentum est  
 Libertas, nec ulla res magis abblanditur ingenio  
 nostro, quam Licentia vivendi & agendi, quod  
 velis. Fac enim abundare quenquam omni ge-  
 nere bonorum, à quibus vulgò fortunati appellantur,  
 esse autem interdictum tot tantisque bonis liberrimè  
 uti, vel abuti etiam, misera hominis conditio videbitur,  
 & semper aliquid deesse, quod spem & vota provocet.  
 Sic Regiæ dignitatis fastigium, quod curæ imperandi  
 adeò molestum ac difficile reddunt, ut merito dixerit  
 Antigonus, *Diadema in arena expositum haudqua-*  
*quam sublaturum esse, qui nosset, ex eo se maxime com-*  
*mendat ignaris, quod Regibus omnia licere creduntur,*  
*juxta illud novercæ Antonini Caracallæ: Si libet, licet.*  
 Nec alia causa est, cur quos subditos nasci fortuna vo-  
 luit, & quos eadem divitiis cumulavit, malint ferè in  
 Republica vivere, quàm sub Imperio Principis, nisi  
 quod illic plura licere Ratio status & forma Regiminis  
 jubent, exemplo Atheniensium, penes quos amplissima  
 erat licentia vivendi, unde Lacon quidam, Athenis,  
 quo profectus fuerat, ad suos rediens, arguti dicti occa-  
 sionem capit, *apud Plutarch. in apophth. Lac.*

Sed sicuti verissimo Comici effato, *deteriores o-*  
*mnes evadimus licentia;* Ita effrenis & immodica fa-  
 cultas quidvis faciendi inter veræ felicitatis partes refe-  
 renda non est, quin potius hominem infra sortem be-  
 luinam detrudit. Recta enim & sana Libertas nun-  
 quam

quam opponitur legibus, siue de persona prædicetur, siue de actione, Sic ipse Deus, dum Ens liberrimum est, nihil agit, quod ad normam Sanctitatis & Bonitatis suæ non congruat, quam legem æternam vocant Scholastici. Et Philosophi veteris Stoæ, notissimo paradoxo, omnes & solos sapientes liberos ideò nominarunt, quòd agerent, quicquid vellent, nihil autem vellent, nisi quod esset sanæ rationi & normæ præscriptæ vivendi conveniens. *Cic. in paradoxis par. 5.* Quoties ergo *Libertas* de homine dicitur, non significat eum, qui legi non pareat, sed negat servitutem, quæ directioni alienæ hominem subijcit, & hoc sensu liber dicitur, qui suarum actionum est Dominus. Quoties verò actioni tribuitur, & idem est, quod *Licentia*, respectum involvit ad leges; Ita ut juxta vulgarem explicationem liberum sit & liceat agere generatim, quicquid legibus prohibitum non est. Dicitur equidem aliquando licere, quod facere oportet, quoniam illud quoque à lege vetitum non est, quod mandatum invenimus; *conf. Flacius in Clavi part. 1. sub voce Licentia.* Sed ista locutio non est philosophica, quoniam quicquid licet, pro arbitrio & facere & omittere possumus, mandata verò non impunè negliguntur. Optimè ergo liberam dicimus actionem, *quam lex permittit vel expressis verbis, vel non prohibendo;* ubi tamen notamus, si à *negligentia* sectari volumus, adjicienda esse descriptioni liberæ actionis hæc verba, *dummodo de genere talis actionis unum vel alterum lex statuatur.* De quo enim ob-

boup

) ( 2

jecto

jecto lex mentionem omninò nullam facit, circa illud non satis propriè dixeris quæpiam licere. Sic non penitus accuratè loqui videtur, qui v. g. asserit, *jure naturæ licere comedere vitulum*; aut *jure divino positivo*, quale nos modo obligat, *prosequi apes nostras in territorio alieno*. Licebat autem illud in V. T. Judæis ex lege Ceremoniali; hoc ex Jure Cæsareo in prædiis rusticis patrifamilias integrum est. Et inde quivis facile colligere potest, notabilem varietatem eorum, quæ licent, pendere è varietate legum, quarum, generalissima divisione, *alia est naturæ, alia divina positiva, alia humana*. Ut aliis exemplis res illustretur, lege naturali aggressorem vitæ meæ licet interficere, ut hanc conservem, licet etiam hostem confodere in prælio aperto; neque id eodem sensu licet vel è lege divina vel humana. Lege divina positiva licet sex diebus hebdomadis operibus manuum & omni laboris generi vacare, licet etiam unum vel alterum eorum hic & nunc Pietati destinare & feriari, modo septimus perpetuo sanctus habeatur: et si quid ejus, vel ex lege naturali vel ex humana licet, minus tamen rectè loquitur, qui ex dictis legibus licere affirmat, sex diebus hebdomadis vario manuum opere victum quæsitare. Lege humana licet heredi detrahere falcidiam &c. quod nec lege naturali nec divina propriè loquendo licet. Non modo autem disparata sunt, ut ex hæctenus dictis constat, quæ leges variæ permittunt, sed quandoque contradictoria inveniuntur, ita ut quod ex una legum licet, alia prohibeat, & vicissim quod

quod una prohibet, alia liberum relinquat. Sic lege naturali integrū est cuiq; rem suam vindicare, quod tamen lex Romana restrinxit, ut tignum ædibus junctū ad conservandum decorem urbis vindicare non liceat. Lege naturali ferarum captura libera est; Lege vero humana ad solum principem pertinet. Vicissim legibus popu-  
lorum quorundam historia memorat permissa fuisse furta, latrocinia, adulteria, quæ lege naturali evidenter vetita sunt. Sed quanquam lex humana subordinata & inferior possit legem naturæ subordinantem, superiorem & generaliore pro re nata restringere; tamen placita ejus immutare, & quod ipsa prohibuit, permittere non debet: si secus facere audeat, impunitatem civibus largitur, à peccato tamen haudquaquam absolvit. Nimirum lex humana conscientiam lege naturæ vel divina ligatam solvere & liberare nequit, ut ut qua talis, lege naturæ & divina liberam ligare possit. Hoc enim competit, quia Magistratui obedire & lex naturæ & divina positiva jubet. Illud ex eadem ratione competere nequit, quia neutra dictarum legum jubere potest, ut Magistratui injusta præcipienti obsecundemus. Quicquid ergo jure naturali vel divino positivo ita licet, ut jure humano restricta Libertas non sit, id omne tuto aut agitur, si visum fuerit, aut omittitur. Cautius verò tractanda esse, qui vis intelligit, quæ lege humana licent, ne fortè vel manifestè injusta faciamus, vel iniquiora saltem minusve congrua, quale est, quod olim lex duodecim tabellarum debitoris defuncti corpus inter cre-

ditio-

ditores, cum non esset, unde ipsis solveretur, dividi per-  
mittebat. Præterire tamen silentio non decet, inter ea  
quoque aliquid discriminis esse, quorum exercitium  
vel jus naturæ vel divinum vel etiam humanum arbi-  
trio nostro committit. Ita enim, verbi gratia, licet in-  
ire matrimonium, quia ordinatio & institutio divina  
conjugium benedictione peculiari jamdudum conse-  
cravit, *Genes. I, 27.* Melius tamen facere eos, qui ma-  
trimonio abstinentes in Cœlibatu puro & incontami-  
nato vivunt, Paulus docet *1. Corinth. VII, 1. seq.* In V.  
Test. divortia Judæis Lex divina positiva permisit; Sed  
cum id factum fuerit propter ipsorum *σκληροκαρδίαν*  
teste Christo *Matth. XIX, 8.* rectius procul dubio e-  
gerunt, qui Vet. Test. temporibus conjugii vincula fan-  
cta habuerunt, conjugum errata tolerant. Atque  
huc referenda sunt verba Pauli bis terve repetita *1. Cor.*  
*VI, 12. cap. X, 23. πάντα μοι ἔξεσι, ἀλλὰ μὴ πάντα συμ-  
φέρεσι.* Quanquam enim quibuscunque cibis vesci, &  
erga adiaphora se gerere pro arbitrio libertas Christia-  
na concederet; tamen Neophytorum & Judæorum  
adhuc convertendorum habenda ratio erat, ne illi  
scandalum intempestivè arriperent. Suprema igitur  
lex circa ea, quæ licent, esto, ut quicquid magis conve-  
nit & probatur voluntati Legislatoris, è duobus aga-  
mus, & in electione serviamus & loco & tempori, ceu  
Apostolus monet *Rom. XII, 11.* Quod postremum  
in illis, quæ lex humana permittit, cum primis obser-  
vandum est, ne promiscuè agendo quodcunque licet,  
tandem agere discamus, quæ non licent. Cæ-

Cæterum de Licentia hæc proferendi occasionem  
dederunt, & fortasse ulterius dabunt, quos nunc sisto,  
& mox in publicum Academiae conspectum produ-  
cturus sum, Viri Perquam-Reverendi, Amplissimi atq;  
Præclarissimi S. S. Theologiae Candidati, nempe

**DN. M. ZACHAR. BRESCIUS,**

Gubena Lufatus, Pastor & Inspector Ecclesiae Luccen-  
sis, ut & Consistorii Luben. Assessor.

**DN. M. JOH. DORNFELDIUS,**

Angeraminda Marchicus, ad Div. Nicolai  
apud Lipsienses Ecclesiastes.

**DN. M. PAULUS ANTONIUS,**

Sittâ Lufatus, Pastor & Superintendens  
Rochlicensis.

**DN. M. CHRISTIANUS Gotthelf**

Birnbaum/ Dresdensis, Pastor & Superinten-  
dens Coldicensis.

Hi postquam Licentiam Theologicam à Facultate  
nostra modestè petierunt, in Examine studiorum &  
profectuum tales se nobis probarunt, quibus citra  
summam iniquitatis notam honestissimum petitum  
denegari non posset. Nunciavimus ergo rem Reve-

rendissimo Academiae Lipsiensis **CANCEL-**  
**LARIO** perpetuo, Serenissimo Principi  
ac Domino, Domino **CHRISTIANO**  
Duci Saxoniae, Juliae, Cliviae & Montium,

ut &



19. 5369 01

ut & Angriæ & Westphaliæ, Episcopatus  
Martisburgensis Administratori, Land-  
gravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ &  
utriusque Lusatia, Principi-Comiti Hen-  
nebergico, Comiti de Marca, Ravensberg  
& Barby, Domino in Ravenstein, Domi-  
no & Nutritio nostro Clementissimo, fecitq;  
Reverendissima Ipsius Serenitas nobis facultatem, Ho-  
nores & Privilegia proximi ad supremum gradus The-  
ologici Dominis Candidatis impertiendi, atque in a-  
ctu solenni me Pro-Cancellarii munere fungi clemen-  
tissime iussit. Cum ergo Collegio nostro visum fue-  
rit, diem Mercurii, qui erit 17. Septembris, eorundem  
commendationi ac Disputationi, sequentem vero  
diem Jovis publicæ renunciationi destinare: Vos, Ma-  
gnifice Academiae Rector, Illustrissimi Comites, & u-  
triusque Reipublicæ Proceres, cum Nobilissimis Civi-  
bus Universitatis, ut Panegyri in utriusque diei vestra  
præsentia splendidiorum efficiatis, eâ, quâ par est, hu-  
manitate atque observantia rogo, singulis mea vicissim  
officia ac inserviendi promptitudinem una cum reci-  
bus ad DEUM pro omnium incolumitate iun-

dendis pollicitus. P.P. Lipsiæ d. 4.

Septembr. 1690.



M.C.



us  
d-  
&  
n.  
rg  
ni-  
itq;  
Ho-  
he-  
a-  
en-  
ue-  
em  
ero  
Ma-  
u-  
ivi-  
tra  
hu-  
sim  
ci-

ULB Halle 3  
004 958 08X  


Sb.

V077





**S**uavia  
Liber  
nostra  
velis.

neri bonoru  
esse autem in  
uti, vel abuti  
& semper al  
Sic Regiæ di  
adeò molest  
Antigonus,  
*quam sublat*  
mendat igna  
juxta illud n  
Nec alia cau  
luit, & quos  
Republica v  
quod illic plu  
jubent, exem  
erat licentia  
quo profectu  
sionem capi  
Sed fict  
*omnes evadin*  
cultas quid vi  
renda non ef  
luinam detru

mentum est  
ditur ingenio  
gendi, quod  
am omni ge  
appellantur,  
nis liberrimè  
tio videbitur,  
ota provocet.  
e imperandi  
merito dixerit  
*n haudqua*  
maxime com  
e creduntur,  
*Si libet, licet.*  
i fortuna vo  
nalint ferè in  
rincipis, nisi  
a Regiminis  
s amplissima  
n, Athenis,  
ti dicti occa  
*ac.*  
*deteriores o.*  
modica fa  
s partes refe  
a sortem be  
libertas nun  
quam

